

**05**

**A**

**1803**









16.

EXERCITATIO ACADEMICA  
PRIOR

DE

# ATHEISMO,

Opposita in primis Renato des Cartes, & Matthiæ Knutzen.

QUAM

In Illustri ad Albim Univerfitate

Auspice DEO, justissimo Atheismi, Vindice

& PRÆSIDE

M. VALENTINO GREISSING,

Coronâ Transylvano, SEREN. ELECT.

SAX. Alumno.

*Fautore ac Amico honorando, Populari Contubernaliq;  
suo æstumatissimo,*

publico eruditorum examini sistit

GEORGIUS TUTIUS Kis-Schenckino

Transylvanus Saxo.

*Ad diem 24. Novemb. A.O.R. MDC LXXVII.*

IN AUDITORIO VETERIS COLLEGII.



WITTEBERGÆ,

Literis JOHANNIS WILCKII.





# VIRIS

*Maximè Reverendis, Clarissimis, Dignissimis, Prestantissimis atq; Egregio,*

DN. BARTHOLOMÆO BAUSNERO, Ecclesiæ Reqviniensis Pastori  
Vigilantissimo Decano Generali Gravissimo.

DN. GEORGIO TUTIO, Ecclesiæ Kis-Schenckensis Pastori fidelissimo,  
Almi ejusdem Capituli Seniori Spectatissimo.

DN. JOHANNI ORTHIO, Ecclesiæ Kiszdenfis

DN. JOHANNI SCHENCKERO, Eccl. Nithusiensis

DN. DAVIDI ANDREÆ, Ecclesiæ Sarosiensis

DN. PETRO FRONIO, Ecclesiæ Neapolitanæ

DN. MARCO FRONIO, Ecclesiæ Ruffimontanæ.

} Pastoribus Meritissimis.

DN. SAMUELI Schnitzlero / Gymnasia Cibiniensis Rectori ac Professori  
laudatissimo.

DN. GEORGIO LUTSCHIO, Ecclesiæ Cibiniensis

DN. SAMUELI BAUSNERO, Ecclesiæ S. Agathæ.

} Diaconis fidelissimis.

DN. MARCO SPOECKELIO, Urbis Coronensis Civi optimo.

*Dominis, Avunculis, Parenti, Affinibus, Præceptori, Patronis, Fautoribus Studiorumq; meorum Promotoribus omni reverentiâ perpetim colendis, observandis.*

Ut Et

*Trigæ Fratrum suavissima*

PAULO LANGIO, Scholæ Purimontanæ Rectori emerito.

MARTINO TUTIO,

MICHAELI LANGIO,

} Strenuis Musarum Alumnis,

*Salutem plurimam dicit.*




05 A 1803





ΘΕΟΣ! ΘΕΟΣ!  
Ῥισαγωγῆ.



Ἰσθῆδ' τε κὶ νοητὰ in dubium vocari non debere, venerandum Philosophorum est effatum. Hinc Aristoteles apud Stobæum (a) existimat, *Eos, qui res manifestas demonstrare conantur, perinde facere, ac si solem adhibita lucernâ vellent ostendere.*

(a) *Sermone*  
4.

Et certè Galenus jure meritoq; ridebat Favonium disputantem: *An sit Sol?* Idem ne nobis de Atheismo disputantibus accideret, prius ratio instituti nostri danda erat, quàm arcem rei (ut dicitur) invaderemus. Tametsi verò *Deos esse perspicuum sit ut id* qui neget, vix sanæ mentis esse, existimet Cicero (β) tamen non tantum antiquis temporibus, sed & hodie reperiuntur tam perversi sceleratiq; homines, qui rem manifestissimam ex destinata malitia & petulantia in dubium vocare non dubitant. Etenim, ut nil dicam de Protagora, Diagora, Theodoro, celebribus quondam apud Gentiles Atheis, mirandum atq; dolendum simul est, pestilentissimum hoc virus & ad eos, qui se de Christo nominari volunt, serpsisse, ita ut non tantum Italiam primùm, sed & post Galliam, Hispaniam, Belgium, Germaniam, Angliam, Poloniam & ipsam Transylvaniam nostram occupaverit. Enimverò magis adhuc dolendum est, quòd hoc omnium malorum sceleratissimo non tantum Idiotas, sed & homines (non

(β) *Lib. 2. de*  
*nat. Deor.*





(γ) T. 1. qv. 32  
Art. 1. § qv.  
46. Art. 2.

homines rectius dixeris) cæteroqvi de republica literaria meritissimos, infectos esse videas. Atq; hinc tot omnium fere professionum Viri celeberrimi sese scriptis suis nocentissimæ huic pesti Reip. Christianæ jam dudum opposuerunt: quorum tamen nonnullis (nominatim Campanellæ & Carthesio) revocandum omnino erat in mentem, quod Thomas (γ) monet: *Cum quis ad probandam fidem Christianam (adde, Dei existentiam) inducit rationes quæ non sunt cogentes cedit in irrisionem infidelium. credunt enim, quod hujusm. rationibus innitamur, & propterea credamus.* Quapropter existimavimus nos non inutilem laborem locaturos, si explorimis, quæ aliàs circumferuntur, argumentis, ea tantum seligamus quæ quemvis Atheum, imò & hominem pientissimum à Diabolo tentatum sufficientissimè convincere possint in suo corde Deum esse. Nos interim ingeminamus cum Augustino: *Domine, da vossè te, vossè me, ut utriusq; notitiâ imbutus, nec timidè nec tumidè tendamus in nominis tui gloriam, anima nostra salutem, proximiq; commodum!*

## SECTIO. I. ΘΕΤΙΚΗ.

### ΘΕΙΣ I.

*Atheismus est impietas, quâ homo profanus sine Deo est, ita, ut eundem vel non credat, vel credens non vereatur aut colat s. manifestò s. clam.*

### ΕΙΣΘΕΙΣ.

§. 1. Quoniam verò vocabula sunt rerum involucria, eorum evolutioni non nihil operæ dandum. Est igitur *Atheus* (unde *Atheismus*) vox origine Græca, composita ex α *στερηκω* s. privativo, & θεός: estq; adeo vi Etymi nil aliud, quàm *qui sine Deo est*. Hoc sensu usurpant Sophocles (δ) Aristophanes (ε) Philo (ς) & ipse Apostolus, (η) eos vocabulo αθεοῖς indigitans, quicumq; sunt

(δ) in *Electra*.  
(ε) in *Plato*.  
(ς) de *vita*  
*Mosis lib. 3.*  
(η) *Epb. 2. 12.*

καρπῆς



ἄθεος ἄθεος, ut ibid. loquitur. Interdum etiam res aliqua dicitur ἄθεος, ut γῆρα θεός apud Plut. ubi nulli sunt dii: sic διδασκαλίαν vocat ἄθεον Gregor. Oppositam significationem habet φιλόθεος Dei amans, quâ utitur Paulus (9).

(9) 2 Tim. 3. 4

§. 2. Synonymum est Ebraëum לְבַבִּי Stultus, ob hanc ipsam θεοῦ ἄθεος negationem, ἐνὶ στήθεσσι hominum nebulonum altissimè reconditam, dicentium in cordibus suis: Non est Deus. Lutherus vertit ohne Gott. Cum quo convenit german. Gottlose.

§. 3. Quâ Homonymiam sumitur vocabulum Athei vel propriè, quo sensu in Definitione accepimus: vel impropriè & abusive, uti Julianus Apostata apud Sozom.

(i) Christianismum vocavit Atheismum. Non alio sensu Gentiles olim Christianos vocabant Atheos, teste Clem.

(i) lib. 5. cap. 15.

Alexandrinò (κ) & Arnobio (λ) quin & hodie Papæ complices nobis Evangelicis Atheismum impingunt, eo quod in doctrina ab ipsis divortium fecerimus. Conf. Gisb. Voet.

(κ) 7. Strom. p. 504.

(μ) & Dn. ID. Rudrauff. (ν) Huc m. referri non immeritò potest distinctio in Atheismum sumtum in oppositione ad nullam, & in oppositione ad veram religionem. Illo modo

(λ) lib. 6. sub fin.

Athei dicuntur illi quos in definitione nostra indigitamus: posteriori modo sunt omnes illi Athei qui non verum Deum, uti sese revelavit in script. S. colunt; Quales sunt omnes Gentiles Idololatæ, Judæi, Ariani, Photiniani, & alii similis furfuris homines.

(μ) de Atheismop. 115. S. 1.

(ν) Theol. Thil. Exhib.

4.

§. Quod πραγματολογία attinet fatemur Descriptionem rectius, quam accuratam Definitionem Atheismi h. l. dari. Conceptus contrahibilis loco posuimus impietate,

quæ juxta Lipsium (ξ) notat actum malitiosum, quo legitimū debitumq; honorem & amorem Deo atq; parenti detrahimus. Conceptus contrahens desumitur partim à

(ξ) lib. 1. De Conf. 1. Cap. 2.



(o) C. 12. 7. 8,  
 9.  
 (π) C. 2, 19.  
 (ρ) in Fabri  
 Thesauro au  
 tho & emen-  
 dato p. 300.  
 (γ) 1. Tim. 1,  
 9.  
 (σ) Pnevum.  
 Disp. 3. de  
 Spir. Incr. p.  
 95.  
 (υ) Disp. 20.  
 Met. S. 1.  
 (φ) Disp. 29.  
 Met. Sect. 1.  
 n. 44.

quod, partim à caractere quodam διακριτικῷ. Illud est homo profanus, rectius forte non hominem vocaveris: sed ne ita digno satis nomine eos appellabis, qui non bestiis tantum (Vide Iob (o) sed & Dæmonibus deteriores sunt. Hi enim teste Iacobo (π) credunt & contremiscunt: illi a. Deum existerere non credunt (aut credere saltem nolunt) neq; verentur in hoc divinum sanctissimumq; numen blasphemiam ἢ μὴ ὄντος conjicere. Et si juxta Buchnerum[ρ] profanus dicitur, quasi porro (sive procul) à fano i. e. irreligiosus, impius, non impertinenter Atheo tribui putamus (σ) Græcè redditur βέβηλος, idem cum voce ἀνόσιος significans. Character diacriticis insinuatur reliquis verbis. Ubi observes nos cum B. Clotzio (γ.) ex Mendoza (υ.) ex Svarez[φ.] nomine Dei, intelligere intellectualem naturam omnium optimam, quas noster intellectus potest apprehendere, cujus arbitrio constituta sint universa, quæ independens sit ab omnibus, ab ipsa verò dependeant omnia: quæ improducta sit, ipsa verò produxerit omnia, indeq; sit Ens nobilissimum, necessarium & æternum. Tale itaq; nomen cum quidam prorsus non credant (loquimur, καὶ ἀθεωταί) alii credant quidem, sed factis Deum impugnent, hinc disjunctivè locuti sumus.

§ 5. Finem adæquatū ponere nullū potui. Quamvis aliàs pleriq; Atheismo suo id intendant, ut tum Dei existentiam, tum Christianismi professionem ex hominum cordibus eximere possint, similimi quoad hoc Diabolo, qui suo damno non contentus, alios quoq; in perniciem æternam rapere secum allaborat.

Θέσις II.

*Distinguitur in Theoreticum & Practicum.*

Ἐκθεσις.

§. An hæc sit distinctio juxta leges bonæ divisionis instituta, nunc prolixè non disputabo. Equidem  
 Gisb.



Gisb. Voët (x) movet hanc Qvæstionem: *An distinctio Atheismi in Speculativum & Practicum sit legitima?* Et respondet affirmativè, eandem dicens esse rationem scientiæ Theoreticæ & Practicæ. Ego tamen existimarem potius distinctionem hanc factum esse κατ' ἀνθρώπων saltem, cum accuratè & ex rei veritate loquendo Athei Theoretici nulli dentur. Si hoc, tum neq; Atheismus Theoreticus. Conf. infra disputanda (ψ)

(x) de Atheismo p. 166.

(ψ) Probl. i.

Θέσις III.

*Atheismus Theoreticus est impietas, quâ homo extremè profanus directè & immediatè divini numinis existentiam non tantùm ignorat, sed & negat perversè.*

ἐκ θεσις.

§. 1. Vocatur *Theoreticus* à θεωρεῖν; eò quòd huius impietas in speculatione atq; animi nudo assensu consistat, in oppositione ad *Practicum*, de quo Theol. seq. Latine cum seneca *Contemplativum* dixeris.

§. 2. Ubi tamen memineris, hic id repetendum esse, quod paulò ante circa distinctionem Atheismi observavi, scilicet Atheismum Theoreticum describi non quâ rem ipsam, sed κατ' ἀνθρώπων saltem, prout nempe dari ejusmodi Athei ab aliis perhibentur, nobis tamen contrarium infra (α) statuentibus.

§. 3. Dixi autem notanter (1.) *directè & immediatè* ut innuerem accuratè distingvendum hic esse cum Paulo Voet. (β) inter Theomachian *directam ac immediatam*, & inter *indirectam ac mediatam*. Hæc consistit in eo, quod aliquis quidem credat Deum esse tamen id asserat, quod per bonam consequentiam Dei existentiam in dubium vocare poterat, ut si e.g. quis Deo curam universi deneget, aut omniscientiam l. omnipotentiam illi detractam velit, aut aliud quod pium attributum essentialiale.

[α] Sect. Προβλ. Probl. 1.  
[β] Theol. Nat. Ref. p. 16.





sentiale. Ratio est in aprico. Quia attributum divinum est ipse Deus, adeoq; eo ipso quo quis negat attributum divinum, negat Deum. Ad quorum classem Crellius, Vorstius & alii à nostratibus, revocari solent. Sed verò, Theomachia *directa ac immediata* est, quâ quis non unum saltem vel alterum attributum divinum negat, sed qui existentiam Dei, adeoq; omnia attributa divina contumaciter negat atq; destruit. (2.) *extremè profanus*, respiciens nimirum ad talem hominem, qui diuturnâ, constanti ac securâ animi persuasionem vel negat Deum, vel etiam impugnat ejusdem essentiam, & quidem sine aliqua interpunctione & recalcitrantis conscientia stimulo usq; ad extremum vitæ halitum. Nam aliàs uti negari non potest, homines subinde reperiri, qui in tentatione ac confusione animi constituti de Dei existentia non cogitant aut fortè etiam dubitant: ita dantur etiam procul dubio, quibus ad tempus saltem exiguum dubitationes de Dei existentia surrepant.

[γ] in *Stasiorum* p. 229. §. 4. Præterea observabis circa *ignorantiam & negationem*, hæc minimè inter se esse confundenda. Etenim, sunt verba B. D. Nic. Hunnii (γ) *differunt negatio & ignorantia ut angustius & Platikus; Quidquid enim in convellenda fide, aut, illius fundamento evertendo, prestare, potest ignorantia idem & multò fortius, prestat negatio; ut ubicunq; est negatio, illic vis ignorantia semper sit inclusa, non tamen vicissim, ubi est ignorantia illic protinus vis negationis includitur. Nam ut ignorantia negat, rei ignoratae notitiam subiisse mentem ignorantis: sic negatio fatetur rei negate subiisse mentem ejus tamen judicio fuisse & repudiatam.*

§. 5. Quem admodum verò *ignorantia* non est unius generis, ita & hic non de quavis promiscue nobis est sermo, sed



sed tantum de ignorantia (1.) vincibili (2.) contrariè sese habente (3.) vera. Quarum illa est, quæ studio superari potest: diciturq; ignorantia privationis. *Ista est*, quando quis non saltem non cogitat de Dei existentia, sed & negat penitus, cum certa animi persuasione ejus, quod negat. *Hac deniq;*, quâ quis verè ignorat numen aliquod supremum existere. Alias enim (1.) ignorantia invincibilis, quâ quis ignorat ea, quæ scire facile non poterat, vel non tenebatur, excusat in foro humano. Vid. Dn. Struv. [e] atq; (2.) mere negative se habens etiam interdum absq; vitio contingere potest, ubi intellectus humanus rebus terrenis intentus cessat aliquantum cogitare de Dei existentia; neq; enim uno eodemq; actu simul omnia cogitare possumus, obstante imbecillitate nostri intellectus: quin imo (3.) experientia quoq; testatur, multos ejus perversitatis homines esse ut tametsi apud se certò persuasi sint, Deum existere, tamen extrinsecus saltem simulant impie se ignorare. Unde vocatur Ignorantia affectata sive simulata, it. κατὰ διαθεσιν.

[e] Syntagm.  
Jur. Civ.  
Exerc. 28. §.  
59.

Θέσις IV.

*Atheismus Practicus est impietas, quâ homo profanus vitâ, verbis & factis s. directè s. indirectè Dei existentiam impugnât.*

Ἐκθεσις.

§. Dicitur ita in oppositione ad Theoreticum à πρᾶξι. Latinè vertit Aptonii Interpres *in factis positum*. Cur verò dixerim sub disjunctione *sive directè sive indirectè*, id patebit ex Θεσ. seq.

Θέσις V.

*Est q; alius Manifestus alius Crypticus.*

Ἐκθεσις.

§. Fundamentum distinctionis hoc est, quod videas

B

saepè



sæpe alios vitâ suâ manifesto & apertè testari se Deum non revereri: alios verò clam saltem atq; per bonum consequentiâ Theomachian suscipere, dum ea docent, quæ si examinentur paulo accuratius, non parum favere Atheismo deprehendas. Nota: Hos non nulli *Atheos speculativos Practicos* vocant: nos tamen melioris distinctionis causâ ad aliam classem referre volumus, salva utrobiq; rei veritate.

ΘÉΩΣ VI.

*Igitur Atheismus Practicus Manifestus est, quo quis directè se Deo opponit, & apertè negat esse aliquod Ens summum, veletiam omnia exercitia religionis vilipendit atq; ridet.*

"EXΘÉΩΣ.

§. 1. Talis fuit notorius illi Atheorum Cæsar, *Julius Cæsar Vaninus*, qui ob editos duos libros (quorum alterum vocabat *Amphitheatrum æternæ providentiæ divinum Magicum*: alteri titulus erat, *de admirandis Natura Regina, Deaq; mortalium arcanis*) atheisticâ impietate plenissimos, suæ extremæ impietatis convictus Tolosæ Anno decimo nono hujus seculi igne, exsectâ prius lingvâ, combustus est. De quo Gisbert. Voëtius, Vir admirabilis lectionis (2), (quo titulo eum insignit Dn. Rudrauff n.) sequentia refert: *Is adrogum jam damnatus, usq; ad extremum vite scientiarum suam omnibus antagonistis suis non desit opponere, ejusq; libertatem postulare & defendere; Cum enim more solito imponeretur illi à Iudicibus, ut à Deo Rege, & justitia veniam postularet, negavit se id facere posse: non à Deo, quandoquidem eum esse, certum non esset: nec ipse crederet &c.* Conf. Dn. D. Tobias Wagner, Theologus Tübingensis, [3] Dn. D. Rudr. (1.) nec non Excellent. Dn. Donati, Præceptor noster summopere devenerandus. (κ)

§. 2. Impietate si non superior, similis tamen omnino fuit tenebrio quidam, *Matthias Knuke*, qui ante biennium

Jenæ

(2) P. 1. Diss.  
Theol. sed  
Diss. 2. de A-  
theis. p. 147.  
(κ) Phil. The-  
ol. p. 85.

[3] in Exam.  
Elenct. Athe-  
ismi Spec. p. 10  
(1) Diss. de  
Atheismo.  
(κ) in Diss. de  
Dei Exist. §. 7



Jenæ chartas ex professo Atheisticas Sparfit, sequentes continentes titulos: (1.) *Non esse Deum.* (2.) *Non esse Diabolum.* (3.) *Magistratum æstimandum esse nibili, templa contemnenda, Sacerdotes rejiciendos.* (4.) *Loco Magistratûs & Sacerdotum scientiam & rationem cum conscientia esse conjunctam, quæ doceat honestè vivere, neminem ledere, suum cuiq; tribuere.* (5.) *Conjugium & Scortationem nihil differre.* (6.) *Unicam esse vitam, post quam nec premium nec pœna detur.* Vid. venerandus Dn. D. Wagner. (λ)

λ) Exam. E-  
lenct. p. 11. 12.

§. 3. Huc referre licebit omnes etiam Epicureos, Libertinos, Acrotheitas illos, seu Thoës, quos ob impietatem suam horrendam à terra subitò absorptos esse docet Simplicius (u) it. homines nullius religionis, Neutralistas, vertumnos, cothurnos, & ejusdem generis monstra, nominatim Franciscum Rablæsium Gallum, Monachum prius, post Medicum, Petrum Bembum, Lazarum Bonamicum, auctorem Religionis Medici,

u) ad Cap. 38.  
Enchiridii  
Epicleti.

#### Θείσι VII.

*Atheismum Practicum Crypticum vocamus eum, quo quis, licet professione non affectet, sed detestetur, potius odiosum nomen Atheistarum, ea tamen evulgare non veretur, quæ si paulò exactius expendantur, angvem in herba latere deprehendas.*

#### Βηθεσι.

§. 1. In horum classe primas meritò tenet homo, si quispiam alius, viam sternens ad Atheismum, sive dolosè, sive per imprudentiam, jam non in viro, Jesuita ster (ut loquitur Paulus Voet. (v)) Renatus des Cartes. Cùm enim (sunt verba Dn. D. Joh. Ad. Osiandri §.) inter Ignatianos educatus Mercurium Lojolicum profundè imbiberit, & latenter sua philosophemata per Belgium disseminarit, hætenusq; unanimes etiam armavit in prælia fratres, subiit

//  
v) Theol. Nat.  
Ref. p. 9.  
ξ] in Tract.  
de Deo in  
lum. nat. re-  
pres. p. 98. S.  
22.



quorundam mentes dubitatio, num ingenuè, an per insidias philosopharetur iste *ισχυρισμῶν*, num *εὐρησάτω* sua dirigeret in scientiarum reparationem, an Theologiæ ejusq; principiorum destructionem? imò apertè quidam, novam methodum examinando, illum cum Julio Cæsare Vanino, Atheorum apice, comparare ausi, & potius calcem ac lateres ad Atheismi muros erigendos, quam subvertendos, subministrasse opinati sunt. Vide prolixè hac de re disputantes Dn. D. Osiandrum, (o) Dn. D. Rudrauff (π) & Paul.

o] d. l.

π) de Atheismo p. 41. seq.

e) l. d.

σ) in Tract. cit. p. 89.

υ) in Polit.

Dissert. 5.

Aphor. 5.

Voët. e

§ 2. Non errabis, si huic jungas judicio laudati Dn. D. Osiandri (σ). Vorstium & Photinianos: quibus nos addimus Nicolaum Machiavellum (quem eruditè perstrinxit Henr. Julius Schurrl υ.) cum asseclis suis, quos *Novos Politicos* vocant, utpote qui omnibus suis consiliis factisq; probant, se credere, non tam quòd sit Deus, quàm utile esse Reipub. ut vulgo credatur. De Vorstio & Photinianis res constat ex nostratium Theologorum libris, in quibus eruditè refutatur eorum error, qui nullam prorsus de Deo notitiam naturalem admittunt, atq; adeo argumenta ex natura petita rident. Simile fere judicium esto de Arminianis, qui eodem crimine non immeritò condemnantur ab orthodoxis. E Scholasticis recensentur à Smisingo (ϕ) seqq. Alliacensis, Adamus, Gabriel, Major, Cisterciensis, Andreas de novo Castro, & Casp. Cassalius, qui singuli nullum planè nobis superesse fundamentum ex principiis naturalibus, unde Deum existere, certò demonstrari possit, impio ore asserunt. Quibus tamen paulò ante recensitis, Dn. Donati (χ) addit ipsum quoq; Smisingum & Vasquezium, & paulò post in eodem luto cum his hæerere ait, Molinam, Zumelem, & Crigosum.

ϕ) T. 1. Diss.

Theol. Tract.

1. Diss. 1. qv. 4.

n. 59. p. 13.

χ) Diss. cit.

5. 8.

6106



Θέσις II X.

Cum igitur ex haecenus dictis in aprico sit positum, Atheos Practicos dari, sequitur, ut exponamus rationes, easque ex principiis naturalibus petitas, quibus omnes ii, quicunque existentiam DEI negant pertinaciter, vel saltem tentati à Diabolo de eadem dubitant, sufficienter convinci possint, atque moveri ad firmum & indubitatum assensum Conclusio- ni huic: Deus existit, præbendum.

Θέσις I X.

Etsi verò non una eademque tam Theologorum, quam Philosophorum ratio sit probandi Deum existere, sed diversissimis saepe parasangis à se invicem abeant: nos tamen in presenti nostratum firmiter insistentes vestigiis efficacis- simum argumentum esse existimamus, quod colligit ab effectu ad Causam, à Creatura ad Creatorem.

Ἐκθεσις.

§. 1. In delectu argumentorum hoc loco non nihil discrepantiæ est, dum alii quidem argumenta Physica Me- taphysicis præferunt, alii contra, neglectis illis in his præ- sidium quærent. Vide Dn. Donati hanc in sententiam, eruditè differentem ψ. Quæ disceptatio tamen ita com- parata est, iudice Dn. D. Meisnero ω, ut quod caput rei est non evertat: sufficit enim, si recte ac legitimè ea (Dei exi- stentia) adstruatur, quibuscunque tandem argumentis id fiat.

ψ] *Diff. de  
Dei Exist. §. 9*  
ω) *Theol.  
Nat. p. 29. §.  
26.*

§. 2. Et quoniam contra Atheos in præsentis disputa- turi, rem non habemus cum Adversariis intellectum bene, sed pessimè dispositum habentibus, cum ejusmodi, inquam, hominibus, qui tam sunt in ὀνητοῖς lubrici, quam in πισοῖς καθόλῃ contradicentes: hinc nemo mirabitur, nos argu-

B 3

men-



(a) Lib. 2.  
Confid. Met.  
C. 1. qv. 1.  
Obs. 4.

menta ex ratione petita præferre argumentis ex ipsius Scripturæ S. latifundio desumptis, imò hæc etiam planè negligere. Uti enim nos illos meritò rideremus, si de articulis fidei contra nos ex solo lumine naturæ disputare vel-  
lent, neglecto libro Scripturæ: ita simile quid nobis ab ipsis exspectandum esset, si fundamentum tale substerneremus, quod ab Atheis (Scripturæ contemtoribus) pro lubrico haberetur. Deinde studio præterivi subtiles Scholasticorum aliorumve ratiocinationes, utpote quæ parum strin-  
gent simplicem pertinacemq; Adversarium, quin potius causam DEI veritatisq; apud eos miserè prostituent. Re-  
ctè in hanc rem B. Dorscheus, (a) Theologus insignis: *Magnâ consideratione & accuratâ contemplatione, inquit, est opus, ut veritas illa de existentia Dei efficaciter persvadeatur, ob Atheorum perversitatem & rationum Philosophicarum varietatem, ob principia apud nonnullos diversa. Non igitur assumenda principia, quæ ab ipsis Philosophis in dubium vocari possunt, nisi adversarius illa concedat. Nec inveteratæ opiniones in quibusdam Scholis Philo-  
sophicis pro infallibilibus principiis sunt assumenda,*

§. 3. Ut igitur id, quod intendimus, tanto faciliùs obtineamus, supponimus tria: (1) *Quicquid fit, ab alio fieri.* (2.) *Circulus in productione rerum est simpliciter impos-  
sibilis.* (3.) *In iis, quorum unum fit ab alio, non datur pro-  
gressus causarum in infinitum.* Quæ omnia tametsi ex ipsis terminis evidentissima cuilibet esse possint: tamen ne habeant, non tam ignorantes, quàm malitiosè negantes, curnos petitionis principii accusare velint, probamus primum inde: Quia quicquid fit, id eatenus, quantum fit priusquam fiat, nihil est. Fit autem vel à se ipso, vel ab alio aliquo (tertium non datur, aut si detur, ostendat id Atheus) Illud asseri nequit. Nam (1.) si nihil est, priusquam fiat, per paulò ante dicta, tum neq; gaudebit facul-  
tate



tate ullâ efficiendi s. producendi aliquid, adeoq; etiam non habebit facultatem se ipsum producendi. (2.) si à se ipso fieret, tum possibile esset idem simul esset non esse: Effet, quia Causa producens esset: Non esset, quia producendum demum esset, & consequenter esset potentiâ atq; actu simul & semel; Quicquid enim producitur, id quatenus producitur, potentiâ est, & quicquid producit, id quatenus producit, actu ut sit necessum est. Ergo aut concede, nihil à se ipso fieri, aut affirma, esse possibile, idem simul esse & non esse. Posterius dicere, vetat principium illud *ἡ ἀρχὴ τῶν πραγμάτων*, quod est apud Aristotelem (β) Demonstratō ergo jam, nihil à se ipso effici vel produci posse, ultro sequitur, ut ab alio aliquo fiat, quicquid fit. Atq; huc pertinere etiam videtur hypothesis illa Aristotelica (γ) *Quicquid movetur à se ipso movetur, nihil à se ipso.* Quam triplici ratione probatam vide apud Dn. D. Joh. Meisner (δ)

(β) lib. 3. Met.  
C. 3.

(γ) lib. 7.  
Phys. Cap. 1.  
& lib. 8. C. 4.  
(δ) De Cogn.  
Nat. Dei p.  
30.

§. 4. Sequitur, ut, alterum, quod supposuimus, ostendamus. Id priusquam faciam, observandum, *Circulum*, de quo nos hic loquimur, ita dici propter analogiam quandam, quæ intercedit ei cum Circulo Mathematico; Uti enim in hoc regressus fit ad idem punctum, à quo inceptum: ita & in nostro Circulo regressus fit ad id, à quo inceptum fuerat. Committitur a. hic in Physicis (ε) si quis dicat unam rem produci ab alia, & hanc rursus produci ab ea, quam ipsa produxerat, vel immediatè vel mediatè, & post multas generationes. Quod tali exemplo illustrent Philosophi: si ponamus totum aggregatum speciei humanæ ex 1000. constare hominibus, & à primo eorum (initio numerandi factō pro lubitu) dicamus generatum secundum, à secundo tertium, à tertio quartum, & sic con-

(ε) Disp. Met.  
29. sect. 1. n.  
22.



(§) *Diff. cit.*  
*n. 23. seq.*

consequenter ad millesimum usq; , qui sit productus à primo, & ita porro, ut ante. Hunc ergo Circulum esse impossibilem, probatur imprimis inde: Q. aliàs si homo unus e. g. produceretur ab alio, etsi remotè salt. ac mediatè à se producto, tum tamen adhuc remotè ac mediatè seipsum produceret. Id quod quam absolum sit, ex hypothesi nostra prima evidens est colligere: quin imò homo ille esset, & non esset. Esset, quia esset Causa producens alius hominis: & non esset, quia demum ab illo alio homine, quem producit (licet intervenientibus non nullis generationibus) producendus esset id quod iterum manifestam infert repugnantiam. Quod in contrarium afferre poterant Pythagorici, vide resolutum à Svarezio

(§) Supererat, ut probarem hypothesein ultimam, atq; deinde argumentum pro existentia Dei contra Atheos. strueremus, postea, Quæstionibus nonnullis motis, Objectiones præcipuas resolveremus; Sed quoniam per leges Amplissimæ Facultatis Philosophicæ numerum harum pagellarum excedere hac vice prohibemur, singula illa differimus in *Exercitationem posteriorem de Atheismo*, proximè Deo dante, publice ventilandam.

**SOLI DEO GLORIA.**



05 A 1803

ULB Halle

3

003 787 370




1000











16.

EXERCITATIO ACADEMICA  
PRIOR  
DE

# ATHEISMO,

Opposita inprimis Renato des Cartes, & Matthiæ Knutzen.

QUAM

In Illustri ad Albim Univerfitate

Auspice DEO, iustissimo Atheismi, Vindice

& PRÆSIDE

M. VALENTINO GREISSING,

Coronâ Transylvano, SEREN. ELECT.

SAX. Alumno.

*Fautore ac Amico honorando, Populari Contubernaliq;*

*suo æstumatissimo,*

publico eruditorum examini sistit

GEORGIUS TUTIUS Kis-Schenckino

Transylvanus Saxo.

*Ad diem 24. Novemb. A.O.R. MDC LXXVII.*

IN AUDITORIO VETERIS COLLEGII.



WITTEBERGÆ,

Literis JOHANNIS WILCKII.

